

quæ folia non amittunt, designat; quibus aliàs comparantur quoque pii, ut *Psal. XCII, 13. Jer. XVII, 8.* Chaldaus reddit: *כַּאֲרֵץ חַיִּים* quasi arbor vita, h. e. semper vivida aut florens; Syrus verò nudum *אֵיל נֶגַד* arbor usurpat. An verò satis commodè hæc arbor de Christo, vel ejus cruce exponatur, dispiciant alii. Non ineptè aliàs R. Eleasar Ben Afaria dixit, hominem, cujus eruditio amplior ejusdem bonis operibus, similem esse abieti, cujus rami ampli, radix verò parva, adeoque ventis facilè superabilis. Cujus verò opera bona superent eruditionem, assimilandum quercui &c: Simile quid habes in *Pirke asoth. c. 3. §. 9.*

*עַל-פְּלֵגֵי מַיִם* plantata secus rivos aquarum: magnam hoc arboribus parit commoditatem, præsertim in ficcioribus Orientalium terris, ubi faciliùs succò privatur solum æstu solis, atque hinc arescunt quoque arbores; velut elegantur hoc deducitur, *Jer. XVII, 8. Ezech. XIX, 16.* Dicitur autem *עַל פְּלֵגֵי מַיִם* juxta vel secus (uti *עַל* h. m. accipitur *Psal. XXIII, 2. CXXXVII, 1. Exod. XIV, 9.* &c:) rivos plantata, h. e. juxta unum è rivulis, uti *AbenEfra* hic aliique ex eò observant. Similia numeri pluralis pro uno ex pluribus sumpti exempla sunt *Jud. XII, 7. sepultus in uribus Gil. h. l. una earum: Jon. 1, 5. descendit ad latera navis, h. e. ad alterum latus &c: vel juxta Genebrard. rivi notant hic divortia, seu divergia aquarum, ubi aqua in diversas partes vergit; (à פְּלֵגֵי divisit,) eò quod magna sit fluentorum horum copia, continuusque successus. Tales verò rivi in accommodatione ad pium sunt fluenta gratiæ divinæ, Spiritus sancti, verbi, sacramentorum, &c. ex quibus eidem perpetuus subministratur succus atque vigor, contra æstum iræ, crucis, &c. Nec sine causâ videtur hîc adhibitum verbum *שָׁחַ*, quod propriè est transplantare è loco uno in alterum; quomodo de vertice cedri furculus aliò transfertur, *Ezech. XVII, 22.* & vitis è loco succulento transplantatur in desertum *c. XIX, 13.* sic & pii è misero peccati deserto in amœnum ecclesiæ paradysum transplantantur, &c.*

*אֲשֶׁר פְּרוּיָהּ בְּעָהָר* que fructum suum dat in tempore suo: h. e. quæ non sterilis est, nudisve saltem luxuriat frondibus, sed quæ tempore debito, autumnali, vel æstivo, largè producit suos fructus; sic & pii, ceu bonæ arbores, quæ sibi ferè nihil, omnia verò aliis ferunt, bonis se commendant operibus suis, *Matth. VII, 16. 18.* non contenti solo cogitationis germine, vel boni propositi flore, vel verborum foliis; uti *Hugo* declarat. De istis virtutum fructibus, uti sunt pax, lenitas, &c. vide *Gal. V, 22.* Quod verò præterea *Genebrardus* hosce fructus etiam exponit de vitâ æternâ, quod pius feret fructum pietatis suæ vitam æternam ac beatam; id nimis papisticum, à scopo abludens meritisque operum frivole superstructum. Neque sine causâ additur *בְּעָהָר* in tempore suo; impii namque vel nullos vel immaturos tamen putridosque ferunt fructus, citoque pereuntes; at pii in tempore oportuno fructus suos proferunt, probeque maturatos; (veluti *Chaldaus* reddit, que fructus suos *מְבַשֵּׁל* coquit seu maturat in tempore suo:) in tempore inquam, seu oportunitate verâ, ubi sc. proferenda est charitas, patientia, fides, &c. & in altero demum seculo

A perfectam ferent DEI laudem, confessionem, amorem, &c.

*וְעֵלְהוּ לֵא יִכֹּל* folium ejus non decidit: h. e. perpetuò sunt sui similes, decentissimâ totius vitæ ratione, ac mirifico omnium, quæ dicunt, faciuntque decorò, omnibus abblaudientes, omnesque amœnâ umbrâ oblectantes. Hic verò constans foliorum vigor optimè, ceu supra dictum, quadrat in palmam oleamve, quibus nonnulli addunt pinum. Aliàs foliorum defluxus est indicium calamitatis, seu detractionis ornamentorum, *Jes. I, 30. LXIV, 6.* imò eodem quoque indicatur defectus probitatis aut virtutum, cum in vite non sunt uvæ & folia defluerunt; *Jer. VIII, 13.* Quando igitur justii folia, (h. e. ornatum vel virtutum, vel felicitatis,) non amittere dicuntur; indicatur gratiæ divinæ benedictio, quæ hanc tam probitatis, quam fortunati status gloriam piis continuò largitur, perennemque iervat. *AbenEfra* foliorum hunc vigorem de bonâ justorum famâ exponit, allegans *Prov. X, 7.* quod ipsum à præcedentibus non adeò abhorret. Aliàs *כֹּל* propriè de herbis foliisque dicitur, ubi eadem ob defectum succi interioris, æstumque nimium externum tabescunt, & marcida defluere coguntur, *Jes. XXXIV, 4. XL, 7. 8. Jer. VIII, 13. Psal. XXXVII, 2.* &c.

*וְכֹל אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה יִצְלִיחַ* omne, quod faciet, prosperè cadet: possunt hæc vel accipi tanquam pars similitudinis de arbore, (quomodo *Chaldaus* reddit; & in omnibus surculis suis, quos progerminat *מִגְרָר וּמְצִלָּח* grana fert & secundat: item *Vatablus* de fructibus non pereuntibus, *Bellar: & Judæi* quidam apud *AbenEfram*, quorum aliqui trahunt hæc ad furculum, ex arbore hæc decerpunt, succrescentemque alibi feliciter: alii ad folia, quod omnia ista sint prospera ad sanitatem juxta *Ex. XLVII, 12.*) vel etiam, ceu ipsa similitudinis ad pium applicatio, ut cohæreat cum initio hujus versus: & erit (justus) ceu arbor, & omnia, quæ faciet justus, prosperè expediet: sic ipse *AbenEfra*, (quamvis idem nimis carnaliter omne exponat de *וְכֹל וּבְנֵי הַזֶּהוּן* opibus, liberis ac honore;) *Genebrardus, Lorinus, Möllerus*, aliique; Quæ posterior expositio & nobis arridet, præsertim si conferamus eandem planè phrasin ac verba in exemplis *Josephi*, (ceu deserentis prava confortia &c.) qui erat *מְצִלָּח* prosperè agens in domo *Potiph. quia Jehova cum eo, & omnia, quæ ipse faciebat, Jehova fortunabat in manu ejus: Gen. XXXIX, 2. 3.* *Hiskia*, ceu studiosi legis, qui in omni opere, quod cepit in ministerio domus Domini &c. prosperè egit: *2. Par. XXX, 21. c. XXXII, 30.* *Salomonis*, *1. Par. XXIX, 23.* &c. De quâ prosperitate pii omnigenâ (judicio scil. Spiritus, non carnis,) etiam in malis, quæ ad bonum ipsi cedunt, confer *Rom. VIII, 28. 36. 37. Jac. I, 25.* item *1. Tim. IV, 8.* ubi pietas & hujus & illius vitæ promissa dicitur habere. In Ebr. est *יִצְלִיחַ* quod *Vulg.* reddit: prosperabuntur, *Junius: prosperabitur, Pagnin. prosperè cadet. Münsterus* verò formam verbi respiciens, reddit: prosperè faciet. Hæc quippe transitiva significatio in hiphil solet accidere istis verbis, quæ in Kal fuere neutra, uti hoc *יִצְלַח* prospere successit, *Jer. XII, 1. Psal. XLV, 5.* &c. quod in hiphil est, secundavit, prosperum effecit, v. g. *Gen. XXIV, 56.* Deus secundavit iter meum *Psal. CXVIII, 5.* ô Domine secunda &c. Sic igitur & h. l. commodissimè videtur